

B. M. II, 107.

(X187 8966)

h. 22, 14.

DISSERTATIO ACADEMICA

II R  
4236

DE

# SECVLARI SATIATIONE

Q V A M

D. O. M. A.

PRÆSIDE

DN. JOHANNES HENRICO

Bötticher J. U. D.

Juris Can. & Feudalis in Academia Julia Profes-  
fore Ordin. ut & Dicasterii Aulici Wolfer-  
bytani Assessore gravissimo

Dn. Patrono, & Præceptore ætatem summè  
colendo

D. XXII. DECEMB.

*publicæ disquisitioni submittet*

J. B. Baumgart

A. & R.

— ) : ( —

HELMESTADI,



Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII Acad. Typogr.  
ANNO M DC LXXIII.











## THESIS I.

**S***ecularisationis* vocabulum, quamvis minus latinum, & in jure Romano, ubi de hac materia agitur, non occurrat, id tamen passim usurpari tantum non omnes norunt. Et videtur descendere ex verbo itidem non Romano *Secularizare*, quod idem est ac ex spirituali facere temporale, seu ex Ecclesiastico facere aliquid seculare. Quod enim Romani dixerunt *profanum* i. e. *porro*, seu *procul à fano*, & sacro, vel religioso opposuerunt, hoc postmodum à scriptoribus dici coepit *res seculi*, item *seculare*, unde *miles seculi*, *seculare negotium*, *res secularis*, & *persona secularis*. Hæc aliquando contradistinguitur Clerico, aliquando Regulari, unde *Clericus* Canonistis alius *Regularis*, alius *secularis*, quodque in jure Romano l. 83. §. 5. ff. de V. O. dicitur ex sacro profanum facere, hoc dici coepit *secularizare*.

### II.

Ita i. *Secularisatio* in genere denotat profanationem tam personæ, quam rei Ecclesiasticæ, quando nimirum persona Ecclesiastica in statum Laicalem reducitur, vel res Ecclesiastica suam qualitatem amittit, & profanis usibus accommodatur. Elegans exemplum personæ prætextu religionis munera publica deserentis in statum secularem revocatæ extat in l. 26.



*C. de Decur.* cujus verba hæc sunt. *Quidam ignavia  
sectatores desertis civitatum muneribus captant solitu-  
dines, ac secreta, ac sub specie religionis cum cœtibus mo-  
nazonton congregantur. Hos igitur, atque in hujus-  
modi deprehensos, erui latebris consulta præceptione man-  
damus: atq; ad municipia patriarum subeundare vocari,  
& pro tenore nostræ sanctionis familiarium rerum carere  
illecebris: quas per eos censuimus vindicandas, qui publi-  
carum essent subituri munera functionum.* Et de jure Ca-  
nonico Clerici gravioris delicti rei, & incorrigibiles cu-  
riæ seculari traduntur. *c. cum non ab homine 10.  
X. de Jud. 2.* *Secularisatio* in specie accipitur de re-  
bus Ecclesiasticis, quando illæ alienantur. Clerici  
enim redactio in statum Laicalem potius dicitur *degra-  
datio*. 3. *Secularisatio* rerum ecclesiasticarum specia-  
lissime accipitur de illa, quando pro salute Reipubl.  
& necessitate cogente res Ecclesiastica à Majestate ex  
suo statu in secularem statum redigitur. In qua signi-  
ficatione in hoc discursu potissimum accipitur.

III.

Hac ratione describitur secularisatio, quod sit actus,  
quo Summa Potestate jubente, vel saltem non impe-  
dien te propter salutem, vel necessitatem reipublicæ  
bona Ecclesiastica ex sua conditione in secularem trans-  
mutantur. Hæc secularisatio vel est universalis, vel  
particularis. Universalis est, quando integra univer-  
sitas v. g. Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia,  
Prælatura, aut Monasterium cum suis obventionibus,  
& redditibus ad seculares usus conceditur. Particula-  
ris, quando aliquid ex bonis, & possessionibus Eccle-  
siasticis alienatur, & in profanos usus transfertur.

IV. Vi-



## IV.

Videtur quidem id, quod semel Deo dicatum, & usibus Divinis, aut alimentis personarum Deo fervientium destinatum, nullo modo in profanos usus posse revocari, cum nec homo passurus sit, ut res sibi donata à donatore, vel alio revocetur. Et Deus severe prohibuit hanc profanationem rerum spiritualium, & Ecclesiasticarum Lev. VII. v. 25. *Omnis, qui comederit adipem de jumento, de quo sacrificium offertur domino, peribit de populo suo.* Et Lev. XXVII. v. 28. *Omne, quod Domino consecratur, si ve homo fuerit, si ve animal, si ve ager, non veniet, nec redimi poterit.* Sic Josuæ VII. v. II. dixit Dominus ad Josue: *Surge cur jaces pronus in terra? peccavit Israël, prævaricatus est pactum meum, tuleruntq; de anathemate, & furati sunt, atq; mentiti, & absconderunt inter vasa sua: nec poterit Israël stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate: non ero ultra vobiscum donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est.* Quantopere Belfazar offenderit Deum, quod ex vasis aureis ex templo Hierosolymitano allatis computationes instituerit, legere est apud Daniel. V. v. 3. & seqq. & *templum sanctificat aurum templi Matth. XXIII. v. 17.*

## V.

Quid SS. patres, & Canones de hac re senserint apparet ex verbis Ambrosii can. *convenior* 21. XXIII. 8. *Convenior ipse à comitibus, & tribunis, ut Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem jure suo uti, eo quod in potestate ejus essent omnia. Respondi, si à me peteret, quod meum esset, i. e. fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum me non refragaturum:*



Quamquam omnia, quæ mea sunt, essent pauperum: verum ea, quæ divina sunt, Imperatoris potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, invadite, si corpus occurrat. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi, non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Horrebam quippe animo, cum armatos ad basilicam Ecclesie occupandam missos cognoscerem, ne dum basilicam vindicant, aliqua strages fieret, quæ in perniciem totius vergeret civitatis: orabam, ne tantæ urbis, vel potius totius Italicæ busto superviverem, & infra: Mandatur, trade basilicam, hoc est, dic aliquod verbum in Deum, & morere, nec solum dic adversus Deum, sed etiam fac adversus Deum. Mandatur, trade altaria Dei. Urge-mur igitur præceptis Regalibus: sed confirmamur scripturæ sermonibus, quæ respondit. Tanquam una ex insipientibus locuta es. Et in oratione contra Auxentium. Quid ergo turbamini? volens nunquam jus deseram: coactus repugnare non novi, potero dolere, potero flere, potero gemere: adversus arma quoque lachrymæ meæ arma sunt. Talia enim sunt munimenta sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere, & paulo inferius. Utinam essem securus, quod ecclesia hæreticis minimè traderetur: ad palatium Imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, ut in palatio magis certarem, quam in ecclesia. Sed in consistorio reus Christus non solet esse, sed iudex. Causam fidei in ecclesia agendam quis abnuat. Si quis confidit, huc veniat, & in eadem epistola ad Marcellinam allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo, Nolite gravare Imperator,



rator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale ali-  
quod jus habere: noli te extollere, sed si vis diutius im-  
perare, esto Deo subditus. Scriptum est quæ Dei Deo,  
quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia perti-  
nent, ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium  
jus commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur man-  
dasse Imperatorem, debeo & ego unam basilicam habere.  
Respondi, non licet tibi illam habere. Quid tibi cum  
adultera? Adultera est enim, quæ non est legitimo Chri-  
sti conjugio copulata & in eadem oratione contra Auxen-  
tium, Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ sci-  
mus interpellatum petitione regia, ut vineam suam da-  
ret, ubi rex succisis vitibus olus vile sereret, eumque  
respondisse absit, ut ego patrum meorum tradam heredi-  
tatem, regem contristatum esse, quod sibi esset alienum  
jus relatione justa negatum: sed muliebri consilio dece-  
ptum morte in agrum venisse. Sanctus enim Nabuthe  
vites suas vel proprio cruore defendit. Si ille vineam  
non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi. Quid  
igitur à me responsum est contumaciter? Dixi enim con-  
ventus absit à me, ut tradam Christi hereditatem. Si ille  
patrum hereditatem non tradidit, ego tradam Christi  
hereditatem: sed & hoc addidi, absit, ut ego tradam  
hereditatem patrum, hoc est Dionysii, qui in exilio causa  
fidei defunctus est, hereditatem Eustorgii confessoris, hæ-  
reditatem Myroclis, atq; omnium retrò fidelium Episcopo-  
rum. Respondi ego, quod sacerdotis est, quod Imperato-  
ris est, faciat Imperator. Prius est, ut animam mihi,  
quam fidem auferat: & infra. Tributum Cæsaris est, non  
negatur. Ecclesia Dei est, Cæsari utiq; non debet adjici,  
quia jus Cæsaris esse non potest templum Dei. Quod cum  
Impera-



Imperatoris honorificentia dictum nemo potest negare.  
 Quid enim honorificentius, quam ut Imperator ecclesie fi-  
 lius esse dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato dicitur,  
 Imperator enim bonus intra ecclesiam est, non supra ec-  
 clesiam. Bonus enim Imperator quaerit auxilium ecclesie,  
 non refutat & supra in eadem oratione. Si de meis ali-  
 quid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut  
 argentum, id quod mei juris esset, respondi me libenter  
 offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere il-  
 lud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. De-  
 inde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mi-  
 bi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim  
 vocem liberi sacerdotis, si vult sibi esse consultum rece-  
 dat à Christi injuria. Hæc plena humilitatis sunt, &  
 ut arbitror, plena affectus ejus, quem Imperatori debet  
 sacerdos. Passim enim & leges, & Canones alienatio-  
 nem, & profanationem rerum sacrarum, & Ecclesiasti-  
 carum etiam gravissimis sub pœnis prohibuerunt.  
 l. 4. l. 14. l. 21. auth. hoc jus porrectum C. de S. S. Eccles.  
 N. 7. N. 120. c. 7. §. L. 6. ff. de contrab. empt. c. 1. D. 96. c.  
 si quis dator 2. 1. 3. c. si quis Episc. 3. c. quicumque Episc.  
 1. c. sunt qui 3. c. sacrilegium 4. c. attendendum 1. 3.  
 XVII. 4. Quicumq; prædia ecclesiastica à quocunq; Rege  
 vel seculari Principe invaserit, vel tenuerit, excom-  
 municationi subjaceat. c. 4. XII. 2. Qui abstulerit ali-  
 quid patri, vel matri, homicidii particeps est. Pater no-  
 ster sine dubio Deus est; mater verò Ecclesia. Ergo qui  
 Christi pecunias, & Ecclesie rapit, aufert, vel fraudat,  
 homicida est. c. 6. XII. 2. & passim in d. caus. XII. 1. 2.  
 c. 2. 5. 6. X. de Reb. Eccles. alien. Concil. Ancyr. can. 15.  
 Conc. Carthag. IV. c. 32. Rec. Imp. 1530. §. Etliche ha-  
 ven



ben Kloster d. Anno 1544. §. und damit der Kirchen-  
Güter. Et ipsi gentiles abhorruerunt à profanatio-  
ne rerum Deo dicatarum *Augustin. de Civit. Dei l. 1.*  
*c. 1. Et ibi Coquæus in notis.* De qua prohibita secu-  
larisatione *vid. Cothman. vol. 2, R. 100. Haveman de*  
*Jure Episcop. c. 7. § 8.*

VI.

Quicquid autem hujus sit, Voluntati tamen di-  
vinæ non est contrarium, ut certo casu res sacræ, Ec-  
clesiasticæ, vel religiosæ profanæ fiant. *Vult enim*  
*Deus misericordiam, non sacrificium.* Unde ipse Chri-  
stus infallibilis Divinæ Legis interpret *Matth. XII. 7.*  
quandam profanationem admittere videtur. Nam  
Deus pro immensa sua misericordia erga genus hu-  
manum mavult, ut à sese ordinata Majestas civilis, &  
homines in republica conserventur, quam ut aurum,  
& argentum suo honori, ac cultui dedicatum reti-  
neatur: quam divinam voluntatem Ambrosius *l. 2. de*  
*off. c. 28.* egregie exponit, *Aurum, inquit, Ecclesia ha-*  
*bet, non ut servet, sed ut erogat, Et subveniat in neces-*  
*sitatibus. c. 7. XII. 2.*

VII.

Nec naturali rationi contrarium est, ut salute  
Reipublicæ hoc flagitante ex sacro fiat profanum.  
*Quod enim non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*  
*c. 4. X. de R. J. l. 1. C. ut nem. lic. l. 10. l. 14. C. de SS.*  
*Eccles.* & minus malum, ut majus evitetur, habet  
rationem boni, satiusque est in parte quadam damnum  
admittere, quam totum cum parte perdere. Inde  
si propter extremam inopiam patri cum filio pereun-  
dum sit, patri jus Romanum permittit, ut partum  
B san-



sanguinolentum vendat *l. 2. C. de patr. qui filios distr.*  
Ut navis ab imminente naufragio servetur, quilibet  
quascunque res etiam invito domino navis levandæ  
causa projicere potest *l. 14. pr. ff. de P. V.* Nec damni  
injuriâ dati reus est, qui tempore oborti incendii vici-  
nas ædes diruit, ne incendium latius serpat. *l. 49. §. 1.*  
*ff. ad L. Aquil. l. 3. §. pen. ff. de Incendio.* In casu enim  
necessitatis non attenditur cujus res sit, sed habenda est,  
ac si in primævo statu, & communi esset patrimonio.  
*H. Grot. de J. B. & P. lib. II. c. 2. §. 6. Dicastillo de I. & J. l.*  
*2. tr. 2. D. 9. duob. 9. n. 24.* Et necessitas etiam à Sab-  
bathi sanctificatione excusat *c. 4. X. de R. J.* Ut igitur  
Ecclesia in Republica conservetur, nullum est dubium  
Naturali Jure permissum, & fatius esse rem Eccle-  
siasticam alienare, & Rempublicam conservare, quam  
Ecclesiam, piasque domus, & republ. direptionibus,  
& devastationibus, & corpus, ac animam fidelium  
summæ periculis exponere.

## II X.

Naturali etiam rationi conveniens est, ut res ad  
suum finem dirigantur. Finis verò rerum Ecclesiasti-  
carum est cultus divinus, & rectum religionis exer-  
citiū. Si igitur appareat, cultum divinum, veram-  
que pietatem magis impediri, quam promoveri. Si  
Ecclesiæ, & Ecclesiasticis personis latifundia, & am-  
plissimi redditus relinquuntur, ipsius Ecclesiæ interest  
has possessiones non nihil imminui. Quin enim bo-  
norum abundantia corruerit religionem nullum est  
dubium. *Sub Christianis quidem Imperatoribus profecit Ec-  
clesia opibus, defecit vero virtute,* ex D. Bernhardo Rein-  
*king. de Reg. S. & Eccl. d. 2. c. 8. n. 88.* Et si Boërio fi-  
des



des habenda, illis temporibus, quibus Pontifices Romani Regiam potestatem affectarunt, de cœlo vox audita: *Hodie seminatum est in Ecclesia Dei venenum aspidum.* Boër. dec. 69. n. 2. Alberic de Ros. tract. in l. Benè à Zenone C. de quadr. præscript. Et de bonis Ecclesiasticis non nemo scitè dixit: *Mater me peperit religio, sed filia consumpsit matrem.* Ut itaque hoc parricidium evitetur Majestas providere potest. Quicquid enim Ecclesiæ, & Reipublicæ nocet hoc omni ratione potest remove: vid. de hac re *Nic. Reusneri I. Conf. 2. n. 27. Consil. Marpurg. 5. vol. 1. Lans. de Relig. Cur. c. 3. p. 8. & seqq.*

IX.

Moratiores quoque gentes licitum putarunt manus quandoque extendere ad res sacras, & Ecclesiasticas, illasque profanas facere. Nam Servator noster provocat ad exemplum Davidis, quod extat *I. Sam. XXI. 6.* *Non legistis, inquit, quid fecerit David, quando esuriit ipse, & qui cum eo erant, quomodo intravit domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere: Matth. XII. 3 4. Luc. V. 3.* Ut Afa Regem Benhadat sibi conciliaret, quod remanserat in thesauris Domini, ipsi dono misit *I. Reg. XV. 18. 19.* Ita Ezechias, ut populum Juda liberaret ab oppressione Regis Assyriorum Sennaherib, ipsique indictum tributum persolveret, *dedit omne argentum, quod fuerat in domo Domini, & in tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, & laminas quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assyriorum II. Reg. XVIII. 14. & seqq.* Nec legitur hoc factum à Deo unquam reprobatum.



## X.

Et quamvis gentilium exempla non desint, ut licet Deaestros superstitiose coluerint, resque illis dicatas religiosè venerati sint, nihilo tamen minus eas urgente necessitate ad profanos usus revocaverint, ea tamen hic recensere supersedebō; neque utar exemplo Theodosii junioris, qui annonas templorum paganorum militibus addixit *l. 19. C. Theod. de Pag.* His enim exemplis objici possit, quod cum Deaestri indigni fuerint Dei nomine, res illis oblatae non fuerint habendae pro rebus Deo dicatis. Magis tamen ad hanc rem facere videbuntur exempla Imperatorum, Regum, & Principum Christianorum.

## XI.

De *Carolo Calvo* Imperatore scribit *Aimonius de gestis Franc. lib. 5. cap. 34.* *Dominus Imperator Carolus ad placitum suum, in Salmontiacum, sicut condixerat, venit, ibique homines de parte Regni quondam Lotharii, quam frater suus Ludovicus contra eum acceperat, ad se post fugam de Andranaco venientes suscepit: & quibusdam Abbatiolas, sicut erant, integras dedit, quibusdam de Abbatia Martiniana, quam diviserat, beneficiola donavit, & sic ad se pervenire permisit. Quod exemplum secutus Ludovicus Balbus, qui teste eodem Aimonio *d. l. 5. c. 36.* quos potuit, conciliavit sibi, dans eis Abbantias, & Comitatus, ac villas. Et *Concil. Mogunt. c. 25. anno DCCC LXXVIII.* non simpliciter improbat, Monasteria Clericorum, Monachorum, atque puellarum Laicis beneficii jure donata. Docentque historiae integras Ecclesias parochiales Militibus, & Regni Magnatibus in feuda fuisse datas.*

XII. In



## XII.

In Regno Angliæ nobis offertur *Henricus* Rex ejus nominis *secundus*. Illi enim secularisationis actum haud displicuisse, ejus verba, quæ *Neubrig. l. 3. rer. Angl.* refert, satis indicant: *Nonne, inquit, melius est, ut pecuniæ ipsæ impendantur necessitatibus regni, quam Episcoporum absumentur delitiis? Henricum quoque VIII. perhibent historici monasteria totum fere per regnum destruxisse: Horn. Orb. polit. p. 93. Quantum bonorum ecclesiasticorum Reginâ Mariâ Stuartâ in Scotia in secularem usum abierit videre est apud Thuan. lib. 29. p. 580. Huic merito adjungo ob religionis conformitatem Belgas, cum nulla inter eos reperiat urbs, in qua non quædam ex templis papisticis, si modo eorundem data sit copia, aut sint vendita privatis, aut usibus profanis publicisque destinata vid. Schoock, de bon. Ecclesiast. c. 31.*

## XIII.

Hisce enarratis me confero ad *Galliam*, ubi à Nobilitate eundem computum, quem Simon Wolderus in Comitibus Augustanis Ferd. I. Imperatori ostensus, unde subsidia adversus Turcam peti possent, instituebat!, *Burgold. ad I. P. p. 2. d. 9. num. 11.* institutum quondam ex Thuaniano refert *Dn. Rhetius de Secularisatione cap. III.* sollicitante Regem, ut quæ sacerdotia 1000. libras æquarent nummarias, partem tertiam, quæ verò 500. quartam partem, quæ denique 3000. dimidiam partem amitterent, nec non Regis ærario inferrent. Hocce quippe modo 120. librarum myriades confici posse, quarum tertia parte Clero relicta, reliquo summæ æs alienum regni expungeretur. Apparet quoque ex libro quo-



dam, qui in Gallia superiori anno prodiit, cui titulus: *Dissertations sur l'autorité legitime des Rois en matiere de Regale par. M. L. V. M. D. R.* etiam adhuc in isto regno haud improbari secularisationis negotium, & placet nonnulla ex eo hîc adscribere: *L' Eglise se peut considerer en deux manieres, où comme un corps Politique, où comme un corps Mystique, & Sacré. On la considere comme un corps Politique par relation à l'etat, dont elle est un membre: On la considere comme un corps mystique par relation au fils de Dieu, dont elle est epouse selon le langage des Peres. Comme un corps Politique c' est une assemblee de peuples unis par les memes loix, & sous un meme chef temporel pour contribuer ensemble à la conseruation de l'etat, & de la tranquillité publique. De Hispania multa afferre supersedeo, notatu vero digna sunt verba (apud Forstner. in epist. p. 54. & de Comit. Elect. p. 152.) Comit. Ognatae Oratoris, illius regni apud Imperatorem aliquando dicentis; *Episcoporum Germaniae togas aequo longiores ressecandas esse.**

#### XIV.

Si *Italiam* ingredimur, ipsos Pontifices non abstinuisse, nec abstinere à secularisatione constat. Innocentius enim Pontifex per universam Italiam plurima destruxit monasteria bonis eorum in seculi usum collatis *Conring. ad B. Inn. c. 6. p. 182.* De Clemente IX. quoque non est ignotum, illum, quo suppetias ferret Venetiis adversus infensissimum Christiani nominis hostem, reditus cœnobiorum eum in usum impendisse, id quod etiam hodiernum Pontificem facturum vix dubitandum erit. Jam tum enim, uti  
rela-



relationes perhibuerunt, pecuniam Cæs. Majestati  
misit è bonis ecclesiasticis forte redactam ad bellum  
contra Turcam continuandum.

XV.

Et quod humanæ potestati liceat ex præsumta  
voluntate Dei res ipsi consecratas, & Divinis usibus  
destinatas ad profanos usus revocare ipse Servator  
noster Matth. XII. v. 7. docet, dum factum Davidis ex-  
cusat, *qui ingressus in domum Dei panes propositionis come-  
dit quos ipsi non licebat edere neque iis, qui cum illo erant,  
sed solis sacerdotibus.* Rectissime enim suprâ lauda-  
tus D. Ambrosius l. 2. de Offic. *Ornatus*, inquit,  
*sacramentorum redemptio captivorum est, & verè illa  
sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte, ille  
verus thesaurus est domini, qui operatur, quod sanguis  
ejus operatus est c. 70. XII. 2.*

XVI.

Quis vero hominum hanc divinam voluntatem  
cognoscere, & eam exequi possit hodie in controver-  
siam vocari videtur. Siquidem Pontificii contendunt  
omnia bona ecclesiastica facta esse patrimonium Chri-  
sti, ut ejus dominium sit penes Christum. Innoc. *ad  
c. cum super n. 3. X. de caus. poss. & propriet.* & de hoc  
nemo nisi Vicarius Christi Pontifex Romanus dispen-  
sare possit omni potestate Regibus, & Principibus  
denegata. Gregorii VII. verba hæc sunt: *Decimas,  
quas populus dare non vult, nisi quolibet munere ab eo  
redimantur, ab episcopis prohibendum est, ne fiat c. l. XVI. 7.*  
A quo non dissentit Alexander III. c. 7. X. de præ-  
script. Innoc. in c. Verum 7. X. de foro comp. Nos  
contra credimus, & maxime ea ratione, quia, cum re-  
rum



rum istarum dominium sit Ecclesie quæsitum, san-  
ctum sanctorum est Domino, & ideo per nullum po-  
test capi, nisi auctoritate Judicis Ecclesiastici, quia  
sacrilegium in eis committitur; quæ latius persequitur.  
Ern. de Euseb. in Jud. Theolog. super quæst. an pax qua-  
lem desiderant protestantes sit secundum se illicita sect. 3.  
tb. 5. & sect. 4. § 5.

## XVII.

Verum olim Clerici eo superbiæ non processe-  
runt, sed alienationem bonorum Ecclesiasticorum tan-  
quam sub & obreptitie impetratam ab Imperatori-  
bus, & Principibus revocandam, modestè rogarunt,  
& eo ipso facti sunt supremum judicium circa res Ec-  
clesiasticas, vel conservandas, vel justa de causa alie-  
nandas esse penes Imperatorem, & civilem Majesta-  
tem. Certè patres in Concilio Valentino sub Lothario  
Imperatore anno DCCCLV. c. 8. *Placuit ne prædia,*  
*& possessiones Ecclesiarum voto fidelium collatæ cupidis*  
*ad invadendum paterent, & ne tali fraude rebus suis*  
*vacuarentur, & spoliarentur Ecclesie, ne & GLO-*  
*RIOSORUM PRINCIPUM animi subreptione quo-*  
*rundam talium decepti vis, callidisq; mendaciis læderen-*  
*tur: ut si quis non metuens Judicium Dei, & damnatio-*  
*nem æternam, & possessiones Ecclesiarum sive exspolia-*  
*re, quæ pertinent ad jus earum, præsumserit, excommu-*  
*nicationis sententiam, quo usq; præsumptionis factum re*  
*corrigatur, secundam Ecclesiasticam censuram ferat.*  
*Quod etsi prætenderit hujusmodi sibi esse indulta, & con-*  
*cessa ab Augustissimis Dominis nostris nec sic à sententia*  
*Episcopi sit liber, multi enim probantur in similibus men-*  
*tiri: donec Rector ipsarum Ecclesiasticarum rerum ad*  
*CLEMEN-*



**CLEMENTES AURES PRINCIPIS** causam tam male facti cum precibus Ecclesiae deferat, ut ejus judicio, & moderatione res, unde agitur, deliberetur, & is, qui charitate fuerit privatus Ecclesiae, tunc, si dignus est, absolvatur. Quo sanè tempore summa potestas in res Ecclesiasticas minimè fuit denegata Civili Majestati, sed hæc potius implorata, ut inquireret, an justa de causa, an per sub- & obreptionem concessionem Rerum Ecclesiasticarum ad profanos usus essent impetratae. Neque etiam Papa Romanus ex ulla lege divina prætensum vicariatum, & jus excludendi Civilem Majestatem à potestate circa res Ecclesiasticas, & externum cultum disponendi probare potest.

XIIX,

Sed in regenda Republica, & externa potestate circa sacra Majestas Civilis Dei vices sustinet. vid. *Conringii diff. de Maj. auctor. circa sacra*. Zieglerus *de Juri- bus Maj. l. 1. c. 13. §. 22. & seqq.* A Deo enim Majestas ordinata, eique omnis anima in Republica subest. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus, vel superemi- nentibus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt Potestates, à Deo ordinatae sunt. Dei ministra tibi est in bonum. ad Rom XIII. 1. & seqq. Per Deum regnant Principes, Prov. XV. & Regibus Sa- cra scriptura tribuit titulum Deorum, & filiorum Altissimi Psalm. LXXXII.* Unde Augustinus: *Jura huma- na per Imperatores, & Reges seculi Deus distribuit c. 1. D. 8.* Propterea etiam Principes suam potestatem in titulis honorum Deo adscribere solent von Gottes Gnaden. Qui verò summam potestatem in Republi- ca à Deo habet, is non tantum in illa Republica per- sonarum, actiones ad communem salutem, dirigere, sed

C

sed





sed etiam circa omnes res ita disponere potest, ut salus  
& necessitas Reipublicæ requirit. Et quamvis Domi-  
norum jus in res suas illibatum esse, nec cuiquam jus  
suum detrahi oporteat §. 2. *I. de his, qui sui, vel al. Jur.*  
salus tamen reipublicæ, suprema lex est, & cujus in-  
terest Rempublicam esse salvam, is summæ Potesta-  
tis directioni suas res submississe censetur, quatenus  
salus, & necessitas reipublicæ hoc postulat. Sic enim  
in privatis societatibus Magistratui civitatis magna po-  
testas circa negotia illius societatis est concessa. Nullum  
verò est dubium Ecclesiæ quam maximè interesse, ut  
respublica sit salva, & incolumis. *Et salutem reipubli-  
cæ tueri nulli magis convenit, nec alius sufficit ei rei, quam  
Cæsar, seu is, cui comperit summa potestas. l. 3 p. ff. de  
off. præf. Vigil.*

#### XIX

Et hanc supremam potestatem circa res eorum,  
qui sunt in republica, vocare solent Dominium super-  
eminens. *Grot. de I. B. & P. l. 1. c. 1.* Si autem  
Majestati antea competiit super eminentis dominium  
in res civium & subditorum, hoc per factum sub-  
ditorum, ac translationem ad Ecclesiam, ipsi invito  
aufferri non potuit. Præterea notum est, quan-  
to studio Papa cum suo Clero potentiam, & divi-  
tias corradere, & augere, civilis verò potestatis jus  
imminuere allaboraverit; & amplificatis Ecclesiæ  
bonis eores deducta est, ut antistites imperiis, & po-  
tentia certare cœperint, ipsisque Principibus facti sint  
suspecti, & dives piscatura Petri naviculam Christi tan-  
tum non submerferit, sed, ut Clerus in acquirendo val-  
de studiosus, ita & in conservando, ut etiam res ad Ec-  
clesiam pertinentes dictæ sint ad manus mortuas ve-  
nisse.



nisse. Eaque propter valde periculosum erit tempore necessitatis Clericis in propria veluti causa committere cognitionem, & arbitrium, an & quantum de bonis Ecclesiæ ad salutem Reipublicæ velint conferre.

XX.

Sed rationi magis convenit, ut Majestas civilis vi eminentis domini secularisationem justa de causa instituat. Quæ omnia, nimirum Ecclesiam, ecclesiasticaq; bona Summis Potestatibus subjecta esse, jusq; circa sacra iis competere, his rationibus videtur illustrari posse. Primò enim Summis Potestatibus salus Reipublicæ est commissa, sine religione verò, ac cultus divini cura & rerum sacrarum, nulla diu felix, ac constans esse potest respublica. *Nulla enim erit justitia, nulla reipublicæ firmitas, religionis ubi deest vinculum. Saavedr. symbol. polit. XXIV.* Secundò, est Ecclesia reipublicæ membrum, *Bellarmin. lib. de monach. c. 19.* Hoc autem cum ita sit, non potest non esse subjecta Summis Potestatibus. Cui enim competit summa potestas in totam societatem, illi utique & in partem hæc competere debet. Tertio, Imperatores Christiani, optante, & approbante Clero olim leges Ecclesiæ præscripserunt! de bonis eorum vel augendis, vel imminuendis *vid. l. 1. C. de SS. eccles. l. 2. C. de navib. non excus.* Et jus sacrorum inter partem juris publici refertur ab Ulpiano *l. 1. §. 2. ff. de I. & J. Publicum jus in sacris, in Sacerdotibus, in Magistratibus consistit, Jurisprudencia ad ipsas res divinas extenditur l. 10. §. 2. ff. de I. & J.* Sacrorum autem nomine indigitatur 1. ipsius divini cultus ratio in se spectata. 2. Personæ illæ cultui singulatim dicatæ 3. Res, aut bona, sive mobilia ad religiosum cultum necessaria *Conring. de Majest. Civil. autor. circa Sacra tb. V.*



*th. V.* De quo autem jus constitutum est ab homine quodque pertinet ad jus publicum, illius cura summæ Potestati incumbit, & circa illud Majestas supremam habet potestatem.

XXI.

Quamvis autem hæc omnia satis aperta, & indubitata videri possint, attamen hæc res circa pacificationem Osnabruggensem à pontificiis est disputata, dum hi Papæ autoritatem extollere, civilis verò Majestatis jura infringere fategerunt. Unde contra pacem Osnabrugæ, & Monasterii quondam conclusam quam solemnissime Fabius Chisius nuncius Apostolicus nomine Papæ est protestatus, vid. *ejusd. protestat. & Innocent X. Pontif. declarat. nullitatis Pac. Germ. & Autor Jud. Theolog. sect. 5.* à Conringio in lucem emissa.

XXII.

Firmo igitur credimus stare talo Summas Potestates habere jus secularisandi. Quod ut ad Imperium Romano-Germanicum applicemus, necesse est ut Statum, & formam Regiminis intueamur. Constat imperium Imperatore tanquam capite, & Statibus Imperii tanquam membris. Hinc assimilatur corpori humano, unde dicitur ein Christliches Corpus *R. J. de anno 1512.* & ab Electoribus in responsione sua ad Imperatorem apud Limn. ad Capit. p. 629. Ein ansehnliches gloriwürdiges Corpus vocatur. Quæ autem sit ejus forma multis disputari solet à Dd. Nonnulli enim illud Monarchiam esse asserunt, ut passim *Schutz. V. I. d. 1. th. 25. Witzendorff de Stat. & administrat. & Imp. Rom. forma hodierna.* Aristocratiam contra in modo regiminis quid Monarchici gerentem tuetur Bodinus in *method. histor. c. 7. & de Republ. l. 2. c. 6*  
Con-



Confoederatam irregularem, & planè monstrosam statuunt *Severinus de Monzambano de Stat. Imper. Germ. c. 6. Puffendorff. tractat. de republ. irregulari.* Verum nec Monarchia, nec irregularis, nec monstrosus Status nostri imperii esse videtur, sed mixtus ex Monarchia & Aristocratia, ita tamen ut Aristocratia clarius appareat *Limn. tom. 1. c. 10. n. 12. & seqq. Burgold. ad I. P. p. 2. d. 5. n. 3.* ibique allegati autores. Negatur quidem à nonnullis, quod dari possit respublica mixta; Indivisibilis quippe est Majestas, nec apta in plures partes distrahi, verum horum refutatio. *vid. Schwederi introd. in jus publ. p. general. c. 4. §. 49, 50.*

XXIII.

Imperatori igitur soli, cum secularisandi facultas ex domini eminentis Jure sit derivata, haud erit adscribenda, sed & cæteris Statibus Imperii conjunctim sumtis. Hi enim una cum Imperatore sibi junctim meritò tribuunt in Imperio summam Potestatem, nec non illius potissima jura, quorum nuntius dominio Eminente citra controversiam suppleri videtur. Unde Episcopatus, Abbatia, & cætera bona Ecclesiastica Imperio subjecta, sine singulorum Statuum suffragio, & consensu in secularem conditionem verti non possunt.

XXIV.

Verum enimverò nonnulla jura habet Imperator propria, quæ Germ. dicuntur *Kaiserliche Hoheiten und Reservaten* / uti inter alia sunt, jus primariarum precum, jus dandi veniam ætatis, jus cognoscendi de feudis Regalibus vulgò *Sahnen- und Scepter-Lehn* reliqua *vid. Stamler. de Reservat. Imperat.*



Quod autem ad singulas attinet regiones & provin-  
 cias, Imperii Romano-Germanici, quibus Imperii Sta-  
 tus v. g. Electores, Principes, Comites, Barones imme-  
 diati jure quodam autocratico præfunt, hæ peculia-  
 res quasdam Respublicas constituunt. Quamvis enim  
 Principes, & Status imperii, quos penes est summa re-  
 rum in singulis territoriis, communiter non appellen-  
 tur Reges, aut titulus Majestatis ipsis tribuatur, res ipsa  
 tamen, & jus, eis denegari non debet. *Wesenb. conf. 27.*  
*n. 28. & 29. p. 1. Gail 2. Obs. 57. n. 7. & de pace publ. l. 1.*  
*c. 6. n. 10.* Commune est Publicistarum proverbium;  
 Principes Imperii id posse in suis territoriis, quod Impe-  
 rator in Imperio: illud tamen hac cum limitatione vi-  
 detur intelligendum, cæteris scilicet paribus. Possunt  
 enim singuli Status haud pauca in suis territoriis, quæ  
 Imperator non potest solus in universo Imperio. Nam  
 foedera inter se, & cum exteris pro sua cujusque con-  
 servatione, ac securitate facere possunt. *I. P. art. 8.* Bel-  
 la gerunt, contrahuntq; pacem, ferunt leges *Burgold.*  
*ad I. P. p. 1. d. 10. n. 18.* quæ omnia tam de pace, quam  
 bello tractanda non ad solum Imperatorem, si impe-  
 rium universum concernunt, sed ad omnium Statuum  
 pertinent curam, vid. *Recess. Wormat. Anno 1595. No-*  
*rib. 1521. ibid. Anno 1622. Spirens. anno 1526. §. zum*  
*andern.* Quanquam enim Imperator sibi cognitio-  
 nem super Ducatibus, consentientibus Principibus re-  
 servavit, attamen in reliquis, absolutis Regibus quoad  
 subditos, & suas provincias planè sunt pares nec in ul-  
 lo cedunt, *Stuck. disquis. polit. de eminent. & jur. Prin-*  
*cip. Germ. th. 142.* Apparere inde arbitror Status Im-  
 perii sive Electores, sive Principes in suis provinciis ha-  
 bile



bile secularisationis constituere subiectum activum, si modo Status Catholici fundationes, bonaq; ecclesiastica, quæ anno 1624. Protestantium coetui deservierant, aut rursus Protestantes Catholicorum bona, vel alias quæcunq; in pristino Statu ut relinquuntur complacitum est, in seculi usum non conferant. *Dn. Rhet. de secularisatione. c. 4.* Maximè etiam h'c debent attendi pacta conventiona inter Principes, & principatus illius Ordines, ac Status, & mores, ac statuta cujusque provinciae, siquidem in quibusdam locis laxior, in quibusdam restrictior est potestas Ordinum provincialium, nec semper procedit argumentum à forma totius Imperii ad Regimen singulorum territoriorum in Imperio.

#### XXVI.

Seqvuntur jam res, circa quas versatur secularisatione, quæ sunt bona ecclesiastica, & non tantum particularia, sed etiam universitates, Archiepiscopatus, Episcopatus, & Abbatiae. De quorum statu, & quomodo in iis secularisatione progressa sit in Imperio nostro Romano Germanico ad rem forte erit si pauca afferantur.

#### XXVII.

Ex historia innotescit cruentissimas persecutiones unà cum Ecclesia Christiana esse ortas, ea propter certo domicilio destituta fuit, ut de ejus bonis, possessionibusque, quomodo se habuerint ante Constantini Magni tempora, certi quicquam afferi vix ac ne vix quidem possit. *Burgold. ad I. P. p. 2. d. 9. §. 3.*

#### XXVIII.

Constantino igitur Imperatore ob res præclare gestas Magno cognominato ad Christianam fidem converso, tutissima Ecclesiae alcedonia accessere. Sublatis quippe tyrannicis istis legibus, quas Antecessores ejus  
imdiè.



impiè in Christianos promulgaverant, Ecclesiam longè pinguiſſimis, & ampliffimis poſſeſſionibus locupletavit. *Sozom. l. 1. c. 8. M. Anton. de Dom. de rep. eccl. l. 9. c. 3 n. 4.* Omnibus enim conceſſit licentiam ad pias cauſas legandi. *l. 1. C. de SS. Eccles.* illamque ſi nemo cognatorum ſuper-eſſet hæredem inſtituit *Euseb. l. 2. de vita Conſt. M. c. 36. Eunap. de Vit. Phil p. 33.* Cæterum de donatione huius Imperatoris multa hic referre ſuperſedeo, cum plurimorum diſſertationes de hac re extant, & tot fere impugnatores, quot aſſertores habeat. vid. *Martæ tractat. de juridi. per & inter iudicem eccleſiaſticum, & ſecularem exerc. p. 1. c. 30.*

XXIX.

Eſſi igitur ſub hoc valde pio Imperatore nullos ſeculariſationis actus celebratos fuiſſe in hiftoriarum monumentis inveniamus, veruntamen anſam ejus ſuis ſucceſſoribus in Imperio præbuiſſe videtur. Julianus enim, qui ob gentiliſmum à Libanio Sophiſta hauſtum Apoſtata dictus. *Socr. l. 3 c. 1.* conceſſa eccleſiis à Conſtant. Magno bona ſuſtulit, imò eo impudentiæ proceſſit, ut ipſa vaſa ſacra rapere non erubuerit. *Sozom. l. 5. hiftor. eccl. c. 5. Ammian. Marcellin. l. 24.* Verum enimverò illud profanationis potius, quam ſeculariſationis nomen meretur.

XXX.

Post Julianum, & Jovianum Valentinianus Conſtantini Magni liberalitate eccleſiis donata bona, dataq; privilegia reſtituere, & in uſum revocare cupivit, ob fata tamen minus proſpera tunc temporis Rempublicam affligentia, non omnia reſtituere potuit. Idcirco exhauſto fere ærario bona nonnulla Eccleſiæ piarum cauſarum legatis ſub Conſtant. Magno valde au-  
cta



Et in subsidium salutis publicæ adhibere non dubita-  
vit, ita ut secularisationis actus celebrasse videatur.  
*Burgold. ad I. P. p. 2. d. 9. §. 7. Dn. Rhet. disp. de secu-  
larisat. c. 2. § 4.*

XXXI.

Sic & insequentium Imperatorum maxima in  
Ecclesiam munificentia in perquam angustam est  
commutata, at verò non exaruit privatorum benigni-  
tas, *Basil. ep. 140.* Sub Justino I. tandem, ejusque suc-  
cessore Justiniano Imperatorum liberalitas revixit  
*Niceph. l. 7. c. 40.*

XXXII.

Verum hæc causa fuit multarum turbarum, & scan-  
dalorum in Ecclesia: Plenæ quippe sunt historiæ cru-  
entissimarum contentionum, quas de Episcopatibus  
aliquantò ditioribus Episcopi suscipere non dubitarunt.  
Quas inter hæc præprimis notanda, qua Damasus,  
& Ursinus certarunt adeò, ut sanguine occisis 137.  
personis impleta sint orationum loca *Ammian. Mar-  
cellin. l. 27. p. 337. edit. Vales.*

XXXIII.

Ipsa igitur experientia edocebat Imperatores bo-  
norum nimiam abundantiam summè noxiam Ecclesiæ  
esse; quamobrem nimis laxam, & ultra legitimas me-  
tas evagantem ad pias causas legandi licentiam angu-  
stioribus terminis, legibus latis, coercuerunt. Spectat  
huc præcipuè Nicephorus Phocas, qui interdixit quon-  
dam quicquã legari Ecclesiæ *Arnif. de subject. Exempt.  
cler. c. 4. p. 58.* Nec non Caroli Martelli factum, qui bona  
ecclesiastica ita distribuere solebat laicis, ut Episcopis  
tantū superesset, quantum ad vitæ sustentationem ne-  
cessarium erat. Manuel quoque Comnenus idem fecis-

D

se le-





se legitur apud *Nicetam annal. l. 7. p. 105.* Ex fisco enim monachis tantum pendi iussit, quantum ad victum, & cultum opus esset. Nimirum immodicam cupiditatem struendi monasteria improbens, exemplum posteris dedit, quo pacto templa condenda, atq; illis, qui à terrenis sese adstrahunt, vita sit instituenda. Cujusmodi (sunt verba Dn. Rhetii de secularisat. c. 2.) prohibitiones licet nondum ipsam præ se ferant secularisationem, ex eodem tamen fonte nascuntur, & eodem fere jure habentur.

XXXIV.

Excitata quoque sedibus suis gente barbarorum, lateque armis circumlatis, reditus Ecclesiarum valde sunt imminuti, nec imperii Romani pars occidentalis intacta est relicta. Præprimis Arcadii, & Honorii tempora commemoranda, quibus tanta Ecclesiam damna passam esse constat, ut Episcopis plerisque non tantum luxuriæ iustrumenta perierint, verum & longo intervallo ad necessarios usus multum defuerit *Burgold. ad J. P. p. 2. d. 9. §. 8.*

XXXV.

Ideo secularisationis causa materialis periisse fere videbatur, nisi longo tempore post Gregorius I. Pontifex ex somniis Origenis purgatorio inducto eam restaurasset. Cum enim animas istius ignis ustulationibus detineri falsò hominum mentibus esset persuasum, pro iis illo tormentorum loco liberandis multæ, & magnificæ oblationes sunt factæ, missæque institutæ, vid. *M. Chemn. in Exam. Conc. Tr. passim.*

XXXVI.

Hoc erroneum dogma, quippe quod in SS. literis nullum habere videtur fundamentum ab universa Ecclesia Occidentis fuit receptum; nusquam verò magis



gis locum invenit quam apud veteres Franco-Gallos. Illa enim gens à tempore Clodovæi Regis ( qui arduo prælio congressurus cum Alemannis vovit, se Christianam fidem, si victor evaderet, amplexurum, eâque victoriâ obtentâ baptizatus primusque Regum Francorum Christo nomen dedit ) ejusmodi superstitionum fuit amantissima, *Lehm. C. S. l. 2. c. 35. p. m. 136.* Quapropter cum nimis magnifica benignitas amplecteretur Clericorum ordinem, anfa secularisandi est data.

### XXXVII.

Notum enim est ex historiis, Lotharium edictis suis tertiam partem reddituum ecclesiasticorum suo intulisse fisco. Chilpericus quoque omnia testamenta, quibus hæreditates, aut legata Ecclesiæ, & Clero relinquebantur, infregit, sæpissime questus; *Regium fiscum pauperem remansisse, divitias ad ecclesias esse translatas, nullos penitus, nisi solos Episcopos regnare, periisse honorem regium, & translatum esse ad Episcopos civitatum.* Gregor. Turon. *l. 6. histor. Franc. c. ult.* Ziegler, *de I. Maj. l. 1. c. 20. n. 2.*

### XXXVIII.

At vero postquam indies magis magisque purgatorii doctrina tradita, bonisque operibus salutem æternam acquiri, creditum est; non dici potest, quantopere Clerici bonis, possessionibusque sint aucti. Testimonium ejus rei nobis præbent rerum Franciæ scriptores, qui satis describere nequeunt immensam Regum illorum in clerum liberalitatem. Aripertus enim, uti legitur, regno Longobardorum potitus, Alpes Cottias, olim à Nerone in Imperii provinciam redactas, Pontifici Romano donavit, *Cluver. ep. histor. p. 422.* diffidiis quoque seminatis





maximoque bello inde orto inter Pipinum Francorum  
& Aistulphum Regem Longobardorum, in quo Aistul-  
phus victus Exarchatum Ravennæ, Concham, Pisau-  
rum, Fanum Fortunæ, Urbinum, Eugubium, multas-  
que præterea in Piceno, & Flaminia urbes perdidit,  
quæ omnia Pontifex Romanus à Pipino in donum ac-  
cepit. *Horn. orb. imp. p. 92.*

XXXIX.

Fortunatissima autem hæc Romanæ sedis tempo-  
ra fortunatiora adhuc excipiunt. Vita enim functo Pi-  
pino Carolus Magnus regni fasces accepit, qui patris sui  
beneficia in Ecclesias collata mirum in modum auxit  
adjectis Venetiis, Corsica, magna Liguriæ parte, Man-  
tua, Rhegio, Mutina, Foro Julii. *Lehm. C. S. l. 2. c. 40.*  
*Horn. orb. imp. p. 93.* In loco quoque Osnabrugge vo-  
cato Episcopatum constituere, & decimis noviter ad  
fidem converforum dotare devovit. *Monum. Pa-  
derborn. p. 117. & seqq.* Fundatum privilegiis singula-  
ribus donavit *d. l. p. 325.* Episcopatus, Naumburg /  
Merßburg / Worms / Basel ab illo etiam sunt fundati.  
*Burgold. ad I. P. p. 2. d. 9. n. 9.* Quæ liberalitas Caroli, li-  
cet tanta fuerit in clerum, ut vix major esse potuerit,  
nullus tamen Episcopus, aut Abbas in imperio de se-  
culari potestate, & jurisdictione territoriali à Carolo  
obtenta gloriari potuit, exceptis duobus, sc. Richardo  
Episcopo Herbipolitano, & Abbate Campidonense, cui  
Carolus Magnus comitatum cum omnimoda jurisdic-  
tione territoriali tradidit in dominium. *Brusch. de orig.*  
*Monast. l. 4. c. 21.* Quanquam notabilis sit observatio *Joh.*  
*Gryphiandri de coloss. Weichbild. c. 29.* Carolum non ipsos  
Episcopatus, quæ tales, sed tantummodo coenobia, &  
templa, quæ postea sub successoribus ejusdem in  
Archie-



Archiepiscopatus, & Episcopatus excreverint, instituisse.

XXXX.

Vestigia Patris & filius Ludovicus preffit tanta liberalitate erga Dei cultum usus, *ut Episcopos, qui propter animarum regimen Principes sunt cœli, ipse eosdem nihilominus Principes effecerit regni* sicuti scribit *Helmod. l. 1. chron. Sclavor. c. 4. n. 2. p. 18. edit. Bangert.* Quanquam autem hic Imperator perbenignus fuerit in clericorum ordinem, expresse tamen sibi reservavit jura circa sacra, & bona ecclesiastica. *Conring de Germ. Imp. Rom. c. 7.* nec cuiquam eorum Comitatus, Ducatus, aut alios Districtus cum Superioritate territoriali, & jurisdictione cessit: verum sub hoc Imperatore Clericorum temporalis potentia cœpit, vid. *Horn. orb. imper. p. 3.* idque inde factum videtur, quod Nobilissimi homines ad sacra aspiraverint munia, hinc ad consilia in aulas asciti; quodque multi Principes, ac Nobiles bona sua, aut partem eorum clericorum ordini obtulerint in feudum, ut illorum salus eo diligentius summo Numini commendaretur; hinc extincta Principum, ac Nobilium stirpe, bona eorum illis accrevere.

XXXVI

Lapsis Francorum rebus, in primis post Arnolphum, & gnatum ejus Ludovicum, imperii que fascibus ad Germanos translatis, magnam potentiam, opumque abundantiam Clerici acquisiverunt. Singulari planè præ cæteris in eos claruit benignitate familia Ottonica. Otto siquidem Magnus, ut primus hujus nominis Imperatorum Germanicorum, ita Clerico-

D 3

rum





rum ordini omnium primus jurisdictionem territoria-  
lem cum Regalibus concessit, *Limn. l. 3. de J. P. c. 3.*  
*n. 1. Reiner. Reinecc. ad annal. Caroli Magni l. 4. Job.*  
*Strauch. instit. jur. publ. Spec. l. 2. tit. 9. n. 5.* Proinde  
in Chronico quodam Erfurtensi M. S. emphaticè scri-  
ptum legitur, ut est apud *Knich. de jure territor. c. 1. &*  
*Gryphand. de Weicbild. Saxon. c. 28. n. 11. & seqq.* Da  
begunten zu erst die Bischöffe weltliche Rechte zu haben/  
Daß dauchte danahls unbillig manchem Manne.

XXXII.

Successores autem in Imperio cognoscentes/fa-  
ctum illud Ottonum magna damna excitasse, secula-  
rificationis medio opus esse, rectè judicarunt. Henricus  
itaque cognomine Sanctus, nec non Cunradus secun-  
dus paulatim infringere potentiam clericorum cœpe-  
runt, imminutis scilicet redditibus Ecclesiarum. Non e-  
nim nesciebant illi: Daß sie der Gewalt/ und weltlichen  
Macht nicht dem Reich/ Käyßern und Königen zu Nutze/  
sondern zu derselben Schwächung/ und Verderben miß-  
brauchet. *Lehm. C. S. l. 4. c. 3.*

XXXIII.

Henricus I. imperium adeptus, licet potentiæ cle-  
ricorum impatiens fuerit, atque pertæsus, uti ex ejus  
verbis, in quæ erupit aliquando querulus, Clericos re-  
gni sui divitias habere, suosque omnes in paupertate  
esse relictos, si illi è medio ablati, se cunctosque suos  
familiares citò fieri posse divites. *Autor histor. belli Sa-*  
*xon. fol. 121.* fatis apparet, tamen vix ac ne vix quidem  
ausus est secularisationis medio uti.

XXXIV.

Qui ei proximè successit Henricus V. aliquant-  
fortius



fortius egit, nec parum Potentiam Pontificis, & Clericorum imminuit. Nam ad sanguinem usque cum Paschali Pontifice ob coronationem decertavit, nec coronari voluit, nisi personæ ecclesiasticæ omnia jura regalia abdicarent. Cui consentire Pontifex est coactus foedusque desuper ictum, quod ut firmum, ac ratum esset Paschalis sacris celebratis hostiæ parte sumpta, altera Cæsari data, dixit: *Sicuti pars hæc vivifici corporis divisa est, ita divisus à regno Christi, qui pactum hoc violaverit. Diac. l. 4. c. 42. Sigon. l. 10.* Otto quoque IV. Imperator ab opulento illo Episcopatu Leodiensi reformationis initium facere statuit; vid. *Schoock. de bon. eccl. sect. 1. c. 10.* Quem & Fridericus II. sequutus, ut constitutio ejus testatur, vid. *Goldast. c. 37. tom. 3.*

#### XXXV.

Verum enimverò recensito quantum per brevitatem licuit, bonorum ecclesiasticorum statu, quomodoque secularisationes exerceri cœperint, celeberrima omnium Secularisationum adhuc considerata superest. Occasionem ejus ipsi Clerici Sedis Romanæ dedisse videntur. Fuerunt enim ex eorum numero, qui publicè Romæ docuerunt jura Regalia, jurisdictionemq; non competere Pontifici, clericorumq; ordini, quique illa sibi attribuerent, eos damnatum iri. Nominatim hanc doctrinam Romæ est professus Arnoldus de Brixia; vid. *Sigon. de Reg. Ital. l. 1. Lehm. C. S. l. 5. c. 37. p. m. 494.* eandem quoque alii professi sunt in Germania, Gallia, Bohemia. *Schoock. de bon. ecclesiast. sect. 1. c. 13.* Id quod cum non sine rationum pondere asseri Status Imperii Rom. Germanici viderent, intolerabilis clericorum potentia est visa, quam infringere



gere utile ecclesiae, & reipublicae fore sunt arbitrati. Quare illud, quo tantum creverat potentia Clericorum, iis ademerunt bonis sc. superfluis, praetextu religionis majoribus ereptis, & in Ecclesiam collatis, aut in secularem usum pro reipublicae incolumitate per secularisationem proprie ita dictam conversis. Sed diffidiis feminatis inter Imperatorem, aliosque Imperii Status apertum inde est bellum natum, quod Marte vario diu gestum, tandem Dei gratia sopitum Anno 1552. transactione Passavii inita quae in Comitibus Augustanis Ao. 1555. est confirmata, sancita pace religiosa.

XLVI.

Post hoc tempus reformatione Ecclesiae, & religionis crescente haud parum crevit invidia Pontificis & Clericorum in eos, quos Protestantes appellare usu receptum, imo Jesuitae instigarunt tandem Ferdinandum II. Imperatorem, ut restitui a Protestantibus cuperet, quicquid bonorum Ecclesiasticorum a transactione Passaviensi occupaverant. Illi vero cum id facere recusarent, cruentissimum illud bellum est exortum, quod 30 annos duravit, post magnas clades tandem sopitum transactione Osnabrugae inita, paceque instrumento, quod Pacis Osnabrugo-Monasteriensis vocatur, confirmata, quo Archiepiscopatus, atque Episcopatus nonnulli in mera seculi nomina transiere.

XLVII.

Constat vero, quod bona Ecclesiastica in duplici fere sint differentia. Vel enim sunt sacra, vel Ecclesiastica in specie sic dicta; vel revera inserviunt Cultui divino, & ministris verbi Divini necessaria vitae subsidia subministrant, vel vero praetextu divini cultus imperitorum



ritorum, & inertium hominum desidiam fovent, & fraudibus, ac dolis, & fallaci persuasione impetrandi remissionem peccatorum, & liberationem à purgatorio sunt corrasa. Posterioris generis res secularisationi subjacent, & de rebus prioris generis potissimum intelligenda, quæ in legibus, & Canonibus antiquioribus de prohibita alienatione rerum Ecclesiasticarum traduntur. Sine quibus enim cultus divinus in aliqua universitate rectè peragitur, honor Dei promovetur, & altari servientes satis sustentantur, illa usu exigente facile secularisari possunt. Ita licet Episcopo adimatur superioritas territorialis, licet Monachis instrumenta luxuriæ & fomenta desidiæ detrahantur, ea propter cultus divinus in isto Episcopatu, & Cathedrali Ecclesia non impeditur, nec gloria Domini imminuitur.

#### XLVIII.

Sic in Instrumento pacis Osnabruggensis *art. 10. §. 3.* Archiepiscopatus Bremensis, & Episcopatus Verdensis sub titulo Ducatus cessit Regno Sveciæ, concessaque Regno Sveciæ potestas post obitum Canonorum, & Capitularium Ecclesiæ Caminensis in Pomerania citeriori prælaturas, & præbendas sibi habendi. Sic Electori Brandenburgensi obvenit Archiepiscopatus Magdeburgensis, Episcopatus Halberstadensis, Mindanus, & Caminensis. Ita prælatura Walkenred cum prædio Schauen in Manus Serenissimæ Domus Brunsvigo-Lunenburgicæ pervenit. Episcopatus Sverinensis, & Razeburgensis Commendæ Ordinis Equestris Johannis Hierosolymitani in Ducatu Mecklenburgensi Mirow, & Nemerow in congruum Serenissimæ Domui Mecklenburgensi ad secularem Statum pervenerunt, & de pluribus aliis Abbatiis, & Monasteriis vid. *d. Instr. pac. art. x. xi. xii. xiii. xiv. xv.* Nec tamen putamus propter has secularisationes

E

nes



nes Cultum Divinum, vel in Republica Romano-Germanica, vel in singulis territoriis infractum, vel imminutum. Licet enim Ecclesia alium nacta possessorem, quam ante habuit, si tamen domus sacræ divinis usibus relinquuntur, non ideo Cultus divinus imminuitur. *arg. l. 22 ff. de contrab. empt.*

XLIX.

Sedulo tamen cavendum ne Princeps, vel Majestas civilis temere inhiat bonis Ecclesiasticis, & sine justa causa ea, quæ Deo ex pio Zelo dicata sunt, auferat, & in privatos usus convertat, & ita facile perhorrendas execrationes illis rebus ab initio adjunctas in se transferat. Solet enim res transire cum suo onere, & facile evenire potest, ut Deus justus vindex contra ipsos Principes retorqueat, quod illi contra Deum justum putarunt, & illis auferat bona à se data, dum Deo abstulerunt à piis hominibus oblata: quam in rem notabilis est fabula de Aquila, unde Germanicum proverbium, *Es seyn Adelers Federn / i. e. talia bona, quibus aliquid adhæret, quod bona his mista facile consumit.* Referunt enim quod Aquila videns Jovi sacrificium fieri advolarit, & carnem agninam de ara subtraxerit, imprudens verò carbonem igneum alis adhærentem in nidum transportaverit, ut nidus concepto igne cum Aquila, & pullis concrematus sit. *Ruina est homini devorare sanctos, seu ut alia versio habet, Tendicula est homini deglutire sacra Proverb. xx. 25. Theod. Reinek. pol. Bibl. lib. I. axiom. 29.*

L.

Justæ verò causæ, ob quas res ecclesiastica alienari potest, solent referri ad causam *pietatis, utilitatis, & necessitatis.* *Pietatis* causa dici solet redemptio captivorum, & sustentatio pauperum: *utilitas*, si res Ecclesiæ minus utilis cum alia magis utili permutetur; *necessitas* si urgens adsit æs alienum



lienum solvendum, §. 8. *J. de R. D. l. 21. C. de SS. Eccles.*  
*N. 7. N. 46. 54. 67. 120. & Canonistæ communiter ad tit.*  
*decretal. de Rebus Eccles. non alien.*

LI.

Si igitur pium est captivos redimere, & pauperes alere  
& propterea res Ecclesiasticæ alienari possunt *juxta c. 70.*  
*XII. 2.* utiq; pium erit cavere ne cives, & subditi captivi ab-  
ducantur, in captivitatem redacti liberentur, & pauperes  
contributionibus exhausti nonnihil subleventur, & si ex bo-  
nis profanis non suppetat, unde hoc fieri possit, non imme-  
rito Ecclesiastica bona in censum vocari, & ad secularem sta-  
tum reduci possunt *R. J. Augsb. 1530. §. Nach dem Chur-*  
*fürsten R. J. Spir. 1542. §. Über der Kirchen & de Ao. 1544.*  
*§. Aber der nec major potest esse pietas, quam conservare*  
*sanguinem Christianum, patriam defendere, & infirmos ab*  
*hostibus tueri. Quin & hoc postulat pietatis, & justitiæ ra-*  
*tio, ut nemo cum damno, & injuriâ alterius sit locupletior,*  
*& privilegium, quod incipit lædere rem publicam, vel juster-*  
*tii, statim revocandum l. f. C. si. contr. jus vel util. publ. C.*  
*Suggestum X. de Decimis, ibi quando Romana Ecclesia ordini*  
*vestro privilegia de decimis dederat, ita erant raræ abbatiæ ve-*  
*stri ordinis, quod exinde nulli poterat de jure scandalum subo-*  
*riri, sed nunc in tantum augmentatæ sunt, ac possessionibus di-*  
*tatæ, quod multi sæpe querelam proponunt C. 2 de Can. præb 6.*  
*inquit Pontifex: Detestanda iniquorum per-versitas abstinere*  
*nesciens à vetitis, nec gaudere debito modo concessis, digne ple-*  
*rumque excitat officium præsentis ad ea, quæ justa fuerunt*  
*consideratione concessa, cum in abusum ea vergere circumspiciet*  
*discretionem prævia revocanda: Abbas in c. suggestum X. de*  
*decimis. Si igitur Majestas civilis videat à prædecessoribus*  
*suis in præjudicium reipublicæ bona in Ecclesiam collata,*





aut per Ecclesiasticos, eorumque personas dolosis persuasio-  
nibus bonis suis miseros laicos denudatos, & bona ad usum  
divini cultus destinata converti in pessimum abusum, omni-  
no poterit tales res vel ad secularem statum revocare, quan-  
doque tamen pro re nata tutius est, ut abusus tollatur, &  
res ad usum Deo magis gratum, & Reipublicæ proficuum  
convertatur.

## LII.

Potest & evidens Ecclesiæ *utilitas* suadere secularisatio-  
nem, sic v.g. quando Ecclesiæ interest, ut ejus bona alteri den-  
tur in feudum, dentur in Emphyteusin, ut reliquis bonis eo  
tutius, & minori cum periculo frui possit, & dum Ecclesia  
ex conservatione reipublicæ sentit commodum, necesse eti-  
am est, ut ferat partem incommodi. Utile etiam interdum  
Ecclesiæ est, ut Clericorum nimii proventus non nihil  
temperentur, & removenda sunt, quæ amorem Deo  
inserviendi potius extinguunt, quam accendunt. *Hen-  
ning. Arniseus de Subject. & exempt. Cler. c. 4. n. 6. in f.  
p. 61.* Experientia enim satis docuit, in quas calamitates Ec-  
clesiam deduxerit nimia abundantia bonorum. Hæc enim  
auxit superbiam Clericorum, hæc eos in prælia detrusit,  
hæc quandoque otiosos, & imperitos homines, qui magis  
bona, quam Ecclesiam appetierunt, saginavit. Interest Ec-  
clesiæ, ne ministri ejus plus æquo ditentur. Quanto enim  
magis ditescunt, tanto magis periclitatur Ecclesia *Vasq. l. 1.  
controv. 16. n. 2. Petr. Greg. de Republ. l. 13. c. 17. Ac qui  
Altari servit de Altari vivat, sed vivat, non superbiat, non  
luxurietur, non ditetur, non sibi de bonis Ecclesiæ Palatia fa-  
bricet. Ex S. Bernhardo Lansius de Relig. fol. 68. Habentes  
victum, & tegumentum his contenti sumus ex Apostolo refert  
c. Episcopus 23. XII. I.*

## LIII.



## LIII.

*Necessitas* legum expers multis modis secularisationem imperare potest, dum vel Ecclesia aliter defendi, aut pax ipsi impetrari non potest, nisi aliquid de bonis Ecclesiasticis fuerit decerptum, & in secularem usum conversum, cujus rei exemplum est apud *Hortleder. In Reichshandl. l. 5. c. 1. f. 1949.* Necessitas enim facit licitum, quod alias de jure illicitum *c. 4. X. d. R. J. & frangit vota arg. c. 2. X. de obser. v. Jejun.* & necessitas sæpe cogit, ut aliunde sumas, quod ipse non habes *Cicero 3. de Orat.* Sic apud *Meursium l. 2. rer. Belgic. ad ann. sup. seculi 68.* relatum legimus, *Elisabetham Angliæ Reginam Genuensium mercatorum bona in portubus suis deprehensa necessitati reipubl. accommodasse: Huic simile recenset Cambd. p. 3. histor. Ao. 1582.* tricesimam partem omnium mercium ardente inter Danum, & Suecum bello exactam fuisse. Si ergo necessitas, quæ tamen non debet esse ficta secularisationem efflagitet, nullum est dubium eam esse admittendam, & necessitati parendum.

## LIV.

Quæ omnia Dd. passim confirmant, & solidis rationibus illustant. Sufficiat verò pro ratione instituti nostri adduxisse quæ tradit *Boeclerus in disqu. de dom. eminent. ad Grot. l. 1. c. 1. Quæ enim, inquit, privilegia, & jura certis hominibus, & ordinibus concessa, ne contra necessitates reipublicæ valeant, legislatoris potestas ultro præstat, dum vel tacitè summam legem publicæ salutis, & necessitatis ubique exceptam vult intelligi, vel interpretatione aperta expedit, quæ obstant Dubium non est, inquit Mylerus de Stat. Imper. c. 88. n. 20. utilitate & necessitate reipublicæ efflagitante Summas Potestates jure suo uti posse, ut vel bona integra Ecclesiæ in secularem usum convertant, vel aliquid ex redditibus ecclesiasticis pro re-*





publica insumant cum in ipsius reipublicæ salute ecclesiæ vertatur salus. Et facit huc, quod scribit Grotius de J. B. & P. l. I. c. 4. §. 4. Civitas seu Respublica singulorum potest sustinere calamitates, singuli autem publicas non item.

LV.

*Modus* quo fit secularisatio facile apparet, vel enim fit expressa, vel tacita voluntate Majestatis, in cujus Republica Ecclesia est, quandoque etiam fit contra Majestatis voluntatem. Expressa voluntate fit, quando causa maturo & prudenti consilio cognoscitur, & apparente ejus justitia, vel æquitate res Ecclesiastica in secularem usum revocatur, & vel in allodium, vel in feudum seculare alteri conceditur. Ne tamen hic Majestas civilis sibi blandiatur, & non causam pro vera causa admittat, non male ager, si ubi temporis, & circumstantiarum ratio ferat clericos probos, prudentes, & religiosos in consilium vocet *arg. c. 1. c. f. X. & c. 1. 2 de Reb. Eccl. non al. 6. c. 1. & seqq. X. de his, quæ fiunt à prælato sine Cons. Cap.* Non tamen hic Clericorum, vel Pontificis consensus planè necessarius est, uti Caramuel, & papicolæ contendunt. Jam supra enim ostensum, Papam nec jure naturali, nec divino, jus aliquod universale in omnes Christiani orbis Ecclesias habere, & ipse Caramuel fatetur *concl. 7. pag. 16. de pace licita*, bona Ecclesiarum Reipubl. Rom-Germ. supremo jurisdictionis titulo ad Imperatorem, & Ordines Imperii spectare. *Mauritius disp. de Secularisat. c. 8. §. 5. in f.* Et quicumque non participat de Jure Majestatis in Republ. Romano-Germanica, illius consensus non requiritur ad essentiam secularisationis bonorum Ecclesiasticorum Imperii. Atqui Pontifex non est particeps. E. Si itaque in Imperio Romano-Germ. quædam bona Ecclesiastica Imperio immediate subjecta secularisanda, solus Imperator hanc facultatem



tem non habet. *cap. Leopold. Imp. art. 12.* sed Imperatoris, & Statuum Imperii voluntate, irrequisito Papæ consensu hæc secularisatio poterit institui. Quomodo etiam in singulis territoriis Protestantium, ubi papalis prætensa jurisdictio suspensa, secularisatio fieri possit, ex dictis facile colligitur.

#### LVI.

Tacita voluntate Majestatis fit secularisatio, quando bona Ecclesiastica per præscriptionem 40. annorum acquiruntur. *c. 4. c. 8. X. de præscript. Nov. 43. c. 6. Nov. 3. c. un. Nov. 131. c. 6. auth. quas actiones C. de SS. Eccl. Klock. vol. camer. Rel. 20. num. 54.* Excipitur tamen Ecclesia Romana, cui non alia potest opponi, quam centenaria præscriptio *c. 13. & seqq. X. de præscr. Strauch. in Irnerio non errante c. 4. §. 3.* Specialis etiam casus est in *c. 1. X. de præscr. & c. placuit. 15. XVI. 3. Richter ad tit. Decret. de præscript §. 14. & seqq.* Contra voluntatem fit secularisatio, quando per bellum diripiuntur bona Ecclesiastica & profanis usibus adhibentur, cujus exemplum apparet in *R. I. Augsburg. Anno 1530. §. Nach dem auch seithero Carolus Caraffa in Germ. sacra restaurata. p. 104.*

#### LVII.

*Finis* secularisationis *ultimus* est salus Reipublicæ, & Ecclesiæ, ut necessitatibus Reipublicæ succurratur, ut cultus divinus restauretur, & promoveatur, ut quies, & pax repararetur, & abusus removeantur. *In qualibet enim bene constituta Republica, ut hoc loco usurpare mihi liceat Conringii ad Lampad. p. 3. c. II §. 43. differentis verba; Tanta debet esse bonorum sacrorum vis, & copia, quæ sufficit sacris obeundis, sacrorumque ministris honestè alendis. Cæterum si*  
bona



ARTK 4936  
bona illa sacra magis fuerint opima, & superflua, omnino & illa debere inservire necessitatibus reipublicæ non minus atque alia manifestum est. Non igitur putandum bona Ecclesiæ ita esse imminuenda, ut ejus ministri honestè haud possint sustentari vid. Dn. Veit Ludwig von Sectendorff in addit. c. 4. §. 3. des Teutschen Fürsten Staats p. 49. & seqq.

LIIX.

*Effectus* secularisationis est, quod bona Ecclesiastica, facta profana, perinde ut alia quædam res allodialis, vel feudalis sit in bonis acquirentis, ac possessio per exceptionem, & per remedia possessoria defendatur, amissa verò res per actionem repetatur *arg. l. 52. ff. de Acquir. rer. dom.* quodque Dominus de eare, ut natura domini, quod quæsitum habet, admittit, possit disponere, & ut alia res secularis oneribus publicis subjiciatur, & ejusdem dominium ut rei secularis, amittatur. Plura de hac re lecturus videre potest. Dn. Mauriti *disp. de Secularisat.* in Academiâ Kiloniensi & Dn. Rhetii *disp. de eadem materia in Acad. Francf. habitam*, nos vero huic dissertationi ita imponimus finem.



V. D. J.



B. M. II, 107.

h. 22, 14. DISS

SE  
S

DN. JO

Juris Can.  
fore C

Dn. 1



Typis G



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

MICA

RI  
E

NRICO

Julia Profes-  
Wolfer-

summè



cad, Typogr.

